

22.
2 D. B. V.
HYPOMNEMATA MISCELLA
EXQVISITIORA,
MAXIME
AD NOVVM FOE-
DVS RECTE INTERPRE-
TANDVM,

PRAESIDE
GEORG. GVIL. KIRCHMAIERO,
GRAEC. LIT. PROF. P.

ERVDITORVM DISCEPTATIONI
PERMITTIT

IO. NICOL. HVBSCHMANNVS,
LONGOSALISSA THVRINGVS,

AD D. XXIX OCTOBR.
A. R. S. c l o l o c VII.

H. L. Q. C.
DISPVCT. I.

VVITEMBERGAE,
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

AD NOVAM EOE
DAS RECIE INTERPRE.

GEORG GULP KIRCHMAYERO

AN DER STADT HANNOVER
VON GEORG GULP KIRCHMAYERO
DRUCKER UND VERLEGER
GEORGIUS GULP

1714
HANNOVER
GEORG GULP KIRCHMAYERO
DRUCKER UND VERLEGER
GEORGIUS GULP

1714
HANNOVER
GEORG GULP KIRCHMAYERO
DRUCKER UND VERLEGER
GEORGIUS GULP

1714
HANNOVER
GEORG GULP KIRCHMAYERO
DRUCKER UND VERLEGER
GEORGIUS GULP



I.



Rinceps illa Theologiae pars, quae *Exegesis* dicitur, ac speciatim in Nouo Foedere versatur, si non prorsus a plerisque negligitur, at non pari industria, parique facultate ingenii, ac linguae notitia, tractatur. Nam alii, Graece satis mediocriter docti, et tantum non rudes, explicatione oraculorum diuinorum qualunque, non ex fontibus, sed riualis interpretationum et commentationum, ducta, contra, atque interpres decet, contenti sunt: alii studiorum humanitatis peritiores, contextum sacrae dictio[n]is paraphrasi et homiliis explanant: alii, exquisitissimis Graecarum literarum subsidiis instruti, diuiniori scripturae N. T. ita dant operam, ut partim ueram Spiritus S. sententiam ex intimes verborum et loquendi formularum recessibus, quibus saepe abdita et retrusa est, eruant, erutamque ad dogmata emendatoris religionis confirmanda adhibeant, partim orationem *Διανοεστάτην* ab obiectis vitiis defendant. Optimae huic interpretandi rationi Theologia nostra *errat*, omnia sua initia, fundamenta, praesidiadenique omnia debet. Atque in ea, ex nostratis

A 2

bus,

bus, post Lutherum, M. Chemnitius, I. Gerhardus, A. Calovius, S. Glassius, E. Schmidius, B. Stolbergius, praeter ceteros elaborarunt, qui, tantum abest, ut Anglis, Batavisque, quorum nominibus *Biblia Critica* maxime gloriantur, palmam concedant, ut hi etiam nonnunquam praeripere videantur, dignissimi profecto, qui partim a M. Polo, in *Synopsi*, Ed. Leighio, Io. Clerico, aliisque, exteris, summae Germanorum eruditioni haud inuidentibus, laudentur.

II.

Certissimum imminentis barbarie signum est, contemtio Grammatices, non vulgaris illius, ac periorum manibus tritae, sed eius, quae, praeter *μεθοδικὴν*, id est, pracepta artis recte loquendi, ἐξηγητικὴν, uiam rationemque explicandi autores, itemque iudicandi de scriptis, complectitur, et ambitu suo φιλολογίαν, uel πολυμάθειαν, et πολυτογίαν, continet. uid. G. I. Vossii Aristarchus. Rectissime itaque Erasmus, citius ad summum honorum, quos tres simul ordines, seu *facultates*, impertirentur, fastigium quempiam ascendere, quam unum Grammaticum laude dignum euadere posse, semel iterumque affirmauit, epist. de uita Orig. suffragante, in eandem fere sententiam, Frid. Taubmanno, dissert. de Lat.L. Sic, spreta Grammatica, omnes ingenuae artes, literae elegantiores pariter ac linguae spernantur, ipsaque Theologia, ut cetera taceamus, ope eius e crassis quondam tenebris in lucem reuocata, et a sordibus repurgata, obscuretur iterum, ac penitus contaminetur, est necesse. Argumento sit cumprimis caput de *iustificatione*, quod nec ullo intelligi modo, nec ad uerum usum in exercitationibus

nibus poenitentiae et fidei accommodari potest, nisi
uocabula τὸ διαινοῦν, διαινεῖν, διαινόμενος, διαινόν-
την, πίστις, χάρις, δωρεὰν, aliaque, subtiliter, et ex instituto,
excutiantur. Quamobrem arduo suo non satisfaci-
unt muneri, qui, explicaturi grauissimum hoc dogma,
quod instar arcis et propugnaculi totius doctrinæ
et religionis Christianæ nobis esse debet, satis ha-
bent, si discipulis sua, aut aliorum, praecepta obscurio-
ra, neglectis fontibus, decenter, illosque spinosis dis-
putationibus detineant, qui interiorem reconditam
que sententiam, unico Φιλολογίας sacrae beneficio, non
solum plane facileque perdiscere, sed etiam sine
negotio defendere, possent. uid. Chemnitius, Theolo-
gus Graece doctissimus, tum LL. Th. tum exam.
concil. Trident. Porro, exponat quis uoces a Pau-
lo de malo originis adhibitas, sine Grammatices adiu-
mento, exempli gratia, ἐντεξίσατος ἀπαρτία, Ebr. XII,
1. τὸ κανονικὸν παραχειρέψεον, Rom. VII, 21. ex quibus, a-
liisque, uerborum momentis integra eius descriptio
exstrui debet. Praeterea, in argumento de *Trinitate*,
potissimum inuestigatione opus est τῆς οὐσίας ναι
ύποσάτεων haud leui. Liceret pari modo percurrere
relicuos, eosdemque praecipuos diuinioris codicis
locos, si necessitas postularet, nec sufficeret, ostendisse
cursum strictimque, pro oraculo habendum esse
illud Glassii: *quanto eris melior Grammaticus, tanto melior*
Theologus. Id quod egregie demonstravit in aureo
Philologiae sacrae libro, uastis multorum uolumini-
bus longissime anteferendo. Huius uestigiis utinam
insisterent plures, ac eandem telam nauiter texe-
rent, et, quantum notitia Graecarum literarum
ualerent, in explananda N. I. scripture experiren-
tur,

fur, melius et Theologiae, et studiose eiusiuuentuti,
consuleretur, quae, si praeter uulgi consuetudinem,
maximo purioris coetus damno, inualescentem, ad
ipsam Spiritus S. linguam delegatur, eiusque devotus
et ἐνέγεια ex profanis scriptoribus explicatur, confir-
matur, illustratur, stupet, horret, et in nouum ueluti or-
bem, monstros plenum, delata sibi uidetur, parumque
abest, quin tale institutum ab omni pietate quam re-
motissimum iudicet, et, haud dubio irruptentis barba-
riae indicio, aut Latinam, aut Germanicam, interpreta-
tionem revera pro ἀθετικῇ habeat. Venit hic in-
mentem excellentis Theologi, Io. Brentii, qui de-
edenda sua notatione figurarum in libris N. T. Joach. Ca-
merarium grauissime admonuit, his usus uerbis, huc
transcribindis: Memini Philippum tibi iniungere hoc la-
boris, ut difficilia Graeca uocabula in N. T. dilucidius, iux-
ta genuinas eorum significationes, e Graecis tuis auctoribus
enarras. Itaque et ego uebementer obsecro, ut hoc, quicquid est,
laboris non detrectes, et, si inceperis, precor, ut feliciter per-
gas. Ita enim non solum nomen tuum orbì commendabis, quod
te non requirere scio, sed etiam de ecclesia Iesu Christi o-
ptime mereberis, id quod pro tua integritate solum pectas.
uid. Th. Crenius, V. C. animadu. Phil. et Hist. P. III, p.
146, cui, ob conseruatam ab interitu hanc epistolam,
ingentes gratiae habentur.

III.

Sacrarum cultores rerum decet, ea, in Nouo Foe-
dere, circumspectis rebus omnibus, rationibusque sub-
ductis, feligere, quae demonstrandi aliquod fidei caput
uim habent, eiusque ueluti sedem ac domicilium con-
tinent, dedecetque contra, obvia, sine iusta sen-
ten-

tentiae cuiusque, sub uerborum inuolucro latentis, inquisitione, arripere, et minus commode interpretari, aut in aliorum quibuscumque interpretationibus acquirescere, et talia ad confirmandum adhibere, ac oppone-re aduersariis, quae infirmari possunt. Ponamus, exempli causa, oraculum illud, Col. II, 9, in quo, tan-quam fundamento suo firmissimo, coniunctio ὑποτα-τική, ex capite de Christo, innititur: ὅτι ἐν αὐτῷ πάντῃ τῷ πλήρωμα τῆς θεότητος συμπληκός.

Ὅτι) Coniunctio est hoc loco cum interprete Syro minime negligenda, nec pro superuacanea habenda, licet saepius in Demosthene, Plutarcho, Epicteto, praeter Thucydidem et Xenophontem ab Henr. Stephano, in Thesauro, nominatos, redundet: quippe quae nexus ostendit, pariter ac rationem expo-nit, cur Colossenses a philosophia sibi caueant. Huius, commate proxime antecedente, mentionem facit Paulus, eamque Fl. Iosephus, temporum illorum aequalis, Pharisaeorum, Saducaeorum et Essenorum sectis comprehendit: Ιουδαιοί Φιλοσοφίαν τρέψις ἡσαν ἐκ τοῦ πάντων δεχάσου τῶν πατέρων, καὶ τῶν Εστηνῶν, καὶ ἡ τῶν Σαδδουκαῖων, κ.τ.λ. Archaeolog. XVIII, 2, item: Τετάγαδε παρὰ Ιουδαιοῖς εἴδη Φιλοσοφεῖται, καὶ τοῦ μὲν αἱρετισμοῦ Φαρισαῖοι, τῷ δὲ Σαδδουκαῖοι. τείτον δὲ, ὃ δὴ καὶ δοκεῖ συμφότητα σύσκεψην, Εστηνοὶ παλαιόντας de bello Iud. II, 7. Sigillatim ad Essaeos, seu Esse-nos, non Platonicos, Gnosticos, Simonianos, sine omni dubitatione respicit diuinus epistolae autor, in quos scilicet omnia momenta, a commate 16, quod cum octauo connecti necessario debet, usque ad extum capitis, plane accurateque conueniunt, ita, ut aliis nullo modo vindicari possint. adeatur Ios. Scali-ger in elenco Trihaeresii Nic. Serarii cap. XXII

et

et XXVII. Laudandus quoque est Mart. Chemni-
tius, qui ex Philone non minus, quam Iosepho, illo-
rum mores, ritus ac dogmata expressit, et cum A-
postoli uerbis contulit, eademque mirifice inter se
congruere demonstravit, l. IV, exam. concil. Trid.
p. m. 204. seq. Essaeorum uero secta Pharisaeorum
disciplina longe seuerior, et praceptorum, quae non
a Deo, sed his suis maioribus, falsa pietatis maio-
ris meritorumque opinione conficta, accepit, cere-
moniarumque iudaicarum retinentissima, ac, sine ex-
ceptione temporis, urgendarum propagandarumque
studiosissima fuit. Etenim σοτχεῖα τῆς κόσμου tralate idem
significant, ac dogmata, et respondent τῷ χειρογράφῳ
τοῖς δόγματι, quae Latine recte explanantur, ceremo-
niae, ritus, decreta, lege Mosis inclusa, et, per σοι-
χαῖς τῆς κόσμου, id est, elementa mundi, omnibus ante o-
culos proposita, ut signa, sub sensus cadentia, uenturi
Christi, uel potius umbrae futuri corporis. Hanc igi-
tur philosophiam, siue, uocabulo simplici, σοφίαν, auersa-
ri iubet Colossenses Apostolus, utpote quae tota ex cor-
ruptis hominum scitis institutisque, παραδόσεως, item
ἐνταλμάτων καὶ διδασκαλῶν nomine notatis, ritibus du-
dum antiquatis, et fallaciis constat, adeoque prava, in-
quinata, et manca est, nec κατὰ χειρὸν, id est, ad Chri-
stum iam tum praesentem, conformata. Ratio statim
subiicitur: ὅτι ἐν αὐτῷ, ο. τ. λ.

Ἐν αὐτῷ) H. Hammondi et I. Clerici alieniorem a-
mente diuina enarrationem hic tangere, operaे non
prestitum existimamus. Nam cuius manifeste pater,
uerba ἐν αὐτῷ cum prioribus, τὸν χειρὸν, si accurate inter-
pungere uelimus, per κῶλον, seu membrum, recte
copulari, nec inciso locum esse, propter adiunctam hu-
ius

Ius commatis rationem, cum ultima superioris uoce
arctissime cohaerentem. A falsae autem et futilis
philosophiae explicatione nunc paullisper ad Chri-
stum, eiusque commoda et beneficia, non adum-
brata, ut verbi causa, in περιτομῇ V. T., de qua nomi-
natim sermo est, sed in βαπτίσμatu perfectissime
solidissimeque nobis impertita, divertit: mox ta-
men rediens ad propositum, nonnulla Essaeorum
dogmata, usque ad finem capitinis secundi, percenset.
Ceterum nemo, nisi cum Zwinglio, absurdissimae il-
lius ἀλογίσεως, innumerabilium matris errorum, archi-
tecto, desipiens, dubitabit, quin hoc loco humana Chri-
sti natura, seu corpus, sit intelligendum. Cyrillus enim,
Alexandrinus, iam tum secus sentientes stultitiae con-
uicit, ad quaestione, εν τίνι δῆ οὖν κατόψης πᾶν τὸ πλήρω-
μα τῆς θεότητος σωματικῶς; respondens, ιδιώς μὲν οὐρ,
καὶ κατὰ μόνας εὐ τῷ τοῦ λόγου Φύσει τούτῳ πεπεάχθει νομίζειν,
ἴνηθες νομίδη. Ισον γάρ εἰπεῖν, ὡς άντος εὐ τῷ κατόψην
οἱ μονογενῆς. Tom. V. P. 2, de recta fide, p. 144, edit. Paris.
1638.

Katōmēi) Causa utique subsit, oportet, cur,
prae simplici οἰκεῖν, aut coniuncto ἐνομένι, uel παροικεῖν,
aliisque, inhabitandi notione praeditis, hoc uerbum.
Spiritus S. delegerit. Quodsi enim Lysiam, Isocratem,
aut Demosthenem, leviter strictimque percurrentis
oleum et opera, uno omnium eruditorum consensu,
perit, cum singulae uoces, ab scriptoribus exqui-
sitissima industria elaboratae, pari cura expendi-
debeant, ecquid de illis censendum N. Foederis in-
terpretibus, qui, de dictione et eleganti, et ponderis
plena, satis securi, rem potius ipsam, si Diis placet,
cupiunt explanare. O praeposterum hominum ge-
nus,

B

nus, quod aedes vult intrare, ianua haud patefacta,
et comedere nucleum, nuce nondum fracta. Sed
in uiam redeamus, uocem paulo altius repetituri,
quam praestantissimi quique interpretes, Erasmus,
Casaubonus, Capellus, Grotius, Heinsius, aliique,
in *Biblio critico* collecti, ne extremis quidem, ut a-
iunt, digitis attigerunt. A uerbo simplici τὸν οἰκεῖον,
tanquam foecundissima stirpe, multa nascuntur com-
posita, eaque multiplici usu perpolita, ueluti ἐνοικεῖ,
synatomī, metomī, παροιαι, πεζοιαι, συνοικεῖ, a profa-
nis, Aristotele, Isocrate, Plutarcho, Aristophane, aliis,
non minus, quam sacrī autoribus usurpata, ut id ge-
nus reliqua, siue σύγχυτα, exempli gratia, οἰκητα, οἰκη-
τήριον, κ.τ.λ. praeteremamus. Κατοικεῖ uero, licet praes-
positione auctum, respondet hic τῷ οἰκεῖον, idemque
ualet, ac ἐνοικεῖ, et a scriptoribus diuinis modo cum
gignendi casu, et adiecta praepositione εἰς, modo
cum dandi, et orationis particula εἰς, modo cum accu-
sandi, sine adiectione aequē, ac cum accessione εἰς,
modo cum aduerbiis locum designantibus, scite ner-
uoseque coniungitur. Eius propria notio est habita-
re, et, ut Matth. II, 23, IV, 13, recte ac linguae Grae-
cae conuenienter uertendum, habitatum concedere,
eaque apud Graecos interdum de diuturnioris tem-
poris habitatione, plurimum de perpetua, adhibetur.
Idcirco H. Stephani *Glossarium*, cui Ios. Scaliger, Is.
Casaubonus, et Dan. Heinsius, haud dubie primas de-
ferunt, ut Latinograecae, domicilium ἐνοικεῖον, κατο-
ικεῖον, ita Graecolat. κατοικεῖται, habitationem, habita-
tum, domicilium, e contrario παροιαι, inhabitatio-
nem, et παροιαι, accolam, incolam, colonum, expo-
nit, Septuaginta quidem interpretes τῷ οἰκεῖον iuxta,

ac

ac *κατοικην*, promiscue, ac iusto discrimine sublato, de
breuiore commorandi spatio, sed minus accurate,
et praeter autoritatem, passim utuntur, cum *παροιαιν*
poni satius fuisset, quippe quae tantum inter se di-
ferunt, quantum illud de stabili, fixa et perpetua se-
de, siue, ut uno uerbo *Glossarii artifex* rectius expri-
mit, domicilio, hoc de temporaria habitatione, seu po-
tius commoratione, accipiendum. Illuc loquendi for-
mulam, *κατοικειν εν πόλει*, quotiescumque in N. occur-
rit Instrumento, huc uocabula *παροιαιν* et *πάροιος*, Luc.
XXIV, 18, Eph. II, 19, refert Er. Schmidius, longe e-
ruditissimus dictio[n]is sacrae emendatoris uindex, cui
anteferendus nemo, pauci pares putandi. Differentiae
huius uis ex Ciceronis Catone elucet, ubi ita le-
gitur: Commorandi natura diuersorum, non habi-
tandi, dedit. addunt quidam codices perperam, lo-
cum. Eande[m]que Gregorius, Nazianzenus, Isocratis,
si Graeco scholia[st]ae credimus, perstudiosus imita-
tor, perspectam habens, orat. X, de parentibus suis
haec memoriae mandat: ἐνσπλαγχνοι, συμπαθεῖς, ἀσπα-
ζοντες τὰ πολλὰ σπτῶν, καὶ ληστῶν, καὶ τοῦ ποσμοκάτορος, ἐν
τῆς παροιας εἰς τὴν κατοικίαν μεταστρέψασθενοι κ. τ. λ. id est,
ambo humani, misericordes, multa tineis et latronibus, et
mundi principi eripientes, ab incolatu ad habitationem feste
transfere[n]tes, cetera, Tom. I, p. 162, edit. Paris. 1630.
Subiicit Elias, Cretensis, in commentariis, a Iac. Bil-
lio Latine uersis, explanationem, admonetque
scienter, incolatus et habitationis uoces tum fluxa
et instabilia, tum firma et sempiterna, significare.
Incolatum enim esse breuem commorationem. Tom.
II. p. 552. Pari modo oratione XVI scribit: τὰς παρ-
οιας καὶ κατοικίας διαγίστε; περὶ Οἰλοπέλεκσίας p. 252. Ut
ea

ea praetermittamus, quae H. Stephanus in Thesau-
ro annotauit. Interpres, uti paulo ante intellexi-
mus, *κατοικίαν* Latine reddidit habitationem, sed non sa-
sis apte, et ad explicandam scriptoris mentem pariter,
ac uerborum oppositionem, declarandam, accommodate,
cum subtilius domicilium, a domo et sede
longe diuersum, dicendum esset, quod per habitati-
one in certam et fixam, in qua larem rerumque ac
fortunarum suarum summam pater familias constitui-
rit, Aus. Popma, differ. uerb. probe definit, componat-
tur Io. Caluini Lex. Iurid. Sic coelum, animorum,
postquam e corporibus excesserunt, domicilium Ci-
cero, exquisito nomine, sciens uolensque uocat,
Tusc. I, pag. m. 1108. At uero obscurior τοῦ κατοικεῖν
uis, quam hactenus enodauimus, uoce τοῦ περιχωρεῖν
patefiet magis et illustrabitur, quae noua sua signifi-
catione maximi momenti proprie huc pertinet, et
solum a Graecis diuinioris coetus doctoribus, Ire-
naeo, Cyrillo, Damasceno, in explanatione ardui hu-
ius argumenti, singulari purioris doctrinae adumen-
to, ea notione frequentata, adeoque a protano uete-
rum usu remota, immigrandi, permeandi, penetrandi-
que, ac aliquid undique complectendi, uim habet,
sine confusione tamen, aut leuissimo alterutrius na-
turae detimento, siue, ut cum doctoribus concilii
Chalcedonensis commodius loquamur, *ἀσυγχύτως*,
ἄργεπτως, ἀδιαγέτως. uid. Euagrius I. II, c. 4. Id quod
ex similitudinibus, cum animi et corporis, tum ferri
et ignis, secum maxime coniuncti, pleno priscae
antiquitatis ore, p[re] illis, deunctione et odore, luce,
et sole, laudatis, euidentissime, quoad eius, per infir-
mitatem conditionis mortalis, fieri potest, perspici-
tur.

tur.componatur Chemnit.de duab.in Christo nat.cap.
IX et XXIII.Inde περιχώρησις existit,estque δλων περιοχή
παντελής ἔνωσις αἵρυγης εν διδάσκαλοις. Quae sane uocabu-
la, mysteriis his consecrata, cur prorsus in Thes.suo
Io.Casp.Suicerus omiserit,causam reperimus nullam,
miramur tamen uehementer,cum alioquin satis accu-
ratus sit, et superiorem τοῦ παρουσίας ac κατοικίαν distin-
ctionem omnino approbet,ac Philonis,Iudaei,Basilii M.
Theodoreti,Asterii,et Theophylacti testimonioris con-
firmet.Iam tandem,subductis rationibus,summam fa-
ciemus interpretationis uerbi κατοικίαν,Spiritus S.mentū
unice congruentis,quae hanc habet sententiam: In hu-
mania Christi natura,sive corpore,perinde atque in pro-
prio suo et fixo domicilio, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος
perpetuo habitat, adeo, ut illam totam complectatur,
peruadat, penetrerque, ac plena et perfecta sua ma-
iestate undique compleat, simul et eiusdem, arctissi-
ma, uerissima, efficacissimaque coniunctione pariter,
ac omnium ιδιομάτων possessione, participem reddat,
sive, breuiore atque neruostore Damasceni loquendi
forma, λογοθέσιαν, προσεπειστον καὶ τεθεωμένην, exhibeat.

Πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος) Latine,
omnis plenitudo deitatis, id est, explatiante Ioach. Ca-
merario, *plena deitas*. Codex Norimbergensis, ad
ueterem interpretationem, pro captu seculi inficiet
et rudis, sic satis probabili dictione expressus, et, an-
no 1483, non 1433, opinante Mich. Marolleto, praf.
in tralationem suam Gallicam, sub incunabulis artis
typographicae, primum ab Anton. Koburgero editus,
Germanice reddit, *Alle Vollkommenheit der Gottheit*. Lu-
therus uero omnium accuratissime, die gantze Fü-
lle der Gottheit. Graecam loquendi rationem, afflati-

divino spiritu scriptoribus tritissimam, nunc exquirimus, ubi *substantium*, πλήρωμα, ut in scholis docent, pro *adiectivo*, πλήρης, inuenitur, a qua non modo non abhorruit incorrupta quondam Graecia, sed etiam hac fuit gauisa. Mirari itaque in mentem uenit, uiros harum literarum peritissimos, Georg. Pasorem, Casp. VVyssium, Io. Vorstium, Theodoric. Hackspanium, ut multis aliis, praesertim ex ordine Theologorum, ignoscamus, eam uocum structuram, ob summam additorum ad nomen uocabulorum inopiam, Hebraeorum propriam esse, contendere, proprioque nomine *Hebraismum* appellare, et ex hac, compluribusque, διάλεκτον Εβραιόν fingere et conflare, quos cum in poetis, Hesiodo, Euripide, Aristophane, tum λογογέφοις, Aeschine, Demosthene, Aristotele, Plutarcho, exemplorum copia affluentibus, tam hospites esse et peregrinos, uix credibile uideretur. Quid, quod eadem, dicendi ratio praecipue cum Latinis et Germanis, iucundo linguarum nexu et cognitione, communis est, qui, ponderis pariter grauioris, ac uenustatis, causa, in *substantia* in *substantia* convertunt, eaque, nouorum accessione appositorum, augent et exornant, hunc amplificandi modum, in quo singulare styli artificium est reconditum, illis, qui plus quam doctorum uulgus, sapere uolunt, magnopere approbantes. Cautius paullo Th. Gatakerus, eximius plane philologus, sentit, cui talis demum locutio ab Hebreis profecta uidetur, si *substantia* a *substantiis*, loco *adiectivorum* positis, illisque subiunctis, regantur, uerbi gratia, ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, dicitur gloriae, id est, gloriosa, Col. I, 2, cuiusmodi multa ex N.F. cumulat, et Seb. Pfochenio obiicit, tanquam omnis Graecorum auctoritatis

ritatis experientia, et nodos inexplicabiles. inspiciatur
Dissert. de N. I. stylo, c. XV. Sed quod pace tanti uiri
dixerimus, fallit, falliturque ipse, quia eiusdem generis
formulam, *πορνητὸν θεάστων*, *laruam audacieas*, pro, au-
daceas, in Aristophane, equ. p. m. 824, item *κυνέντι ἀδι-
εκτος*, *galeam ferri*, pro, *ferream*, in Hesiodo ἀστ. 136,
37, animaduertimus, hocque posito et stabilito, asse-
ueramus, magno utique eruditionis Graecae dis-
criminine, pro *Hebraicmis* uenditari, aut obtrudi, quae
uel unius scriptoris probabilis et idonei, siue sit
adstrictus numeris, siue solutus, exemplo uindicari
possunt. De quo alias, ex instituto, differendi locus erit.
Pergamus ad τὸ πᾶν, quod, cum τῷ πλήρῳ coniunctum,
a Lutheru explanatur *gantz*, notione uidelicet
euangelioχινῆ totius, cunctis partibus absoluti et perfe-
cti, pro nota uniuersi, omnis, diuinitatem, quanta-
cunque est, sine exceptione, enunciante. uid. Glas-
sus, Phil. S. p. m. 1374, 75. Non minus ambarum uo-
cum usus, apud Hebraeos aequae, ac Latinos, mirifico
illo potiorum linguarum concentu consensuque, late
patet, quandoquidem saepius, sine uitio tamen, inter
se confusae leguntur. Caeu autem, id adiecti uocabu-
li *πλεονασμῷ*, seu *παρελθόντι*, superuacaneae scilicet
et prorsus inani, attribuas, quasi uero uox *πλήρωμα*,
per se, sine adiectione, explicandis animi sensis
sufficeret, denotans id, quod integrum est et perfe-
ctum. Quin potius existimes, additum illud plus
ponderis afferre, ac sententiae vim augere et inten-
dere, tam Graecorum more, quam Latinorum,,
qui, praeter coniunctionum, aduerbiorum, et prae-
positionum redundantiam, *substantiuo* interdum ap-
ponere *adiectiuum* solent, fere superuacuum atque su-
per-

perfluens, idque aut ornamenti, aut uehementioris si-
gnificationis, causa, quod Grammatici, cum Casp. VVys-
lio, et Dani. Vechnero in Hellenolexia, nequaquam
pro eo, ac par fuit, attenderunt. Iusto prouechi-
mur ordine ad uocabulum, semel in N. I. obuum,
θεότης, in quo conuertendo mirum quantum et the-
ologici, et philologicuariant, parsque illud diuinitatem,
pars deitatem, pro diuerlo uel confundendi haec,
uel distinguendi, proposito, interpretantur. Sunt
enim, in iisque Theod. Beza, Io. Piscator, Gu. Estius,
numerantur, quibus τὴν θεότητα αὐτὴν separare,
et sic internoscere placet, ut illa in θεότητα, haec in attri-
butionibus Dei, cerneretur, Io. Gerhardo nostro haud
inuito et repugnante, immo Erasmo et Sebastiano
Schmidii, ac Iac. VVellero, assensu suo comprobantibus,
quorum alter θεότητα uocat aliquid *de essentia*
et attributis diuinis, colleg. bibl. post. pag. 36, alter, utri-
usque uocis explicationem duobus complectens mo-
mentis, illam ad τὸ τι εἰσὶ, hanc ad τὸ δὲ, spectare ar-
bitratur, posito commentationis suae fundamento in
eo, quod haud omnia διάφορα θεοῦ, sed duntaxat certa, de
existente Deo, ac quibusdam eius attributionibus, te-
stantia, nimirum θεότητα καὶ διόδος δύομοι, hominibus, a
uero Numinis cultu alienis, ex natura dicuntur cognita, Rom. I, 20, adeas licet annot. in hunc locum. Nos, per-
spectis utrinque rationibus, ab iis, qui significatione
haec disparity miscent, atque unum et idem faciunt,
plane dissentimus, memoria repetentes Augustini
uerba: *Hanc diuinitatem, uel, ut sic dixerim, deitatem: nam*
et hoc uerbo uti iam nostros non piget, ut e Graeco expres-
sius transferant, quod illi θεότητα appellant, l. VII, Ciuit.
Dei, c. 1. Ea quoque causa, sine dubitatione, inter-
preta-

pretationis Belgicae iueteris codicis sacri correctores permouit, ut in locum uocabuli *Godbeyd* substituerent *Goddelickbeyd*, teste Iac. Laurentio, in Paulo *duo-*
vortis. Similiter reddendum Germanice, *Göttlichkeit*,
a quo tamen, elegantiori linguae nostrae generi adeo non usitato, et peregrinum quid sonante, ac poeticō,
prudens abstinuit Lutherus, cui ubique arrisit *Gott-*
heit, Act. XVII, 29, Rom. I, 20. Quod si Grammati-
corum iudicio stare uellemus, sententia nostra non
deserenda foret propterea, quod *θεόντος* denominans,
τῷ θεῷ ductum, haud secus, ac Latinorum diuinitas,
ab adiecto nomine, diuinus, de origine sua nihil fere
immutat, hoc uero, *denominatum*, a denominato,
τῷ θεῷ, ortum, rem aliquam afficit, eidemque addi-
tur, ac de ipsa praedicatur: *Θεόντος* contra, sine am-
bagibus istis, et nullius interuenienti uerbi, proxime
ex, *θεῷ*, proficiuntur, et notionem naturamque huic
finitimam similiamque retinet ac tuetur. Deinde
nullo modo est uerisimile, Paulum, puri integrique
sermonis retinentem, nec in scriptoribus hospitem,
quod nemo homo, uel mediocriter doctus, infitari au-
fit, sine causa, id est, cogente nulla necessitate, nouum
plane, et inauditum Graeciae, uocabulum confinxisse,
cum *θεῖον* et *θεόντος* suppetenter, facileque occurre-
rent, nisi, ad exprimendam Numinis mentem, my-
sterique tanti rationem, minus illa valere, suumque
hoc significantius praestantiusque esse, intellexisset.
Itaque *Glossarium* posterius diuinitatē tantum et
maiestatē Latine reddit, accuratius multo, quam
aut H. Stephanus, qui supra a nobis disiuncta, secus,
ac fieri oportuit, significatione coniunxit, aut uarii
conditores *Dictionarii Graecolat.*, qui sub *Θεόντος* expo-
sitiō.

C

ditione multa coaceruant, in iisque talia huic tribuunt, qualia in alterum potius quadrant, cuiusmodi sunt, numen, prouidentia diuina, et diuinitas, Hesychio et Suida, certo industriae non ubique adhibitae indicio, plane tacentibus, Suicero autem unam solum, ex uocibus, leuiter perstringente. Quin eodem dementiae Georg. Eniedinus, Photinianus, est prolapsum, ut ex contextu nostro grauem istam, sibique infinitissimam, penitus tollere, atque cum illa leuiore commutare, niteretur, perinde, ac si uitio scribentis olim irrepisset. Sed enim uero religio nobis sit, ea, quae doctissimus uates de industria, summoque studio elaborata, posuit, aut fecerni uoluit, ipso ueluti reclamante, uel mutare, et dimouere ex pristine sua et stabili fede, uel paria facere, ac permisere. Basilius scribit, τὸν Θεόντα aliis esse ἑγγείας, aliis plerisque Φύτεως, ἐνδικτικὸν ὄνομα, ad Eustathium, medicum, ep. LXXX. A Dionysio, Areopagitae nomen mentiente, haec ita describitur: ἕσω ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια, καὶ ἀγαθότητι παντελῆ πάντα περιθέουσα, καὶ συνέχουσα, καὶ ἐαυτῆς ἀποληξούσα, καὶ ὑπερέχουσα πάντα, τὰ τῆς προνοίας αὐτῆς ἀπολαύοντα, de diuin. nomin. c.XII. Verum minus distincte, nec ad eius uim atque naturam demonstrandam apposite, quippe cum potius talia τὸν Θεόντα attingant. Quarum profecto discriminem nec antiquitatem fugisse, ex Augustino supra didicimus, qui, iam tum Latinam uocem deitas, necessitatibus causa, deficiente simili, factam, adeoque barbari labe seculi adspersam, in consuetudinem uenisse, fatetur. Immo, ante eum, Hieronymus eadem usus fuit: In tribus personis deitas una subsistit, ep. LVII, ad Damascum. Ultra progredi, et originem exquirere ultimam,

nam, in tanta subsidiorum penuria, quae ad medium
aevum, eiusque prorsus inquinatam Latine loquendi
facultatem, pertinent, non licet, quoniam Io. Meur-
sius, et G. I. Vossius, in peregrinorum commentariis
vocabulorum, nihil, Carol. Dufresneus parum, ad in-
stitutum nostrum conferunt, Christoph. demum Cel-
larius, in curis posterior., supra a nobis allata tantum
confirmat. Nec ab hoc loco alienum est, admone-
re, imperatores, in solenni Chalcedonensi conuentu,
non θεοτυπος, sed θεοτυπος, nomine, honoris ergo, com-
pellatos esse, part. I. ep. 37, act. I, pag. 246. legatur Io.
Filescus de idololatr.polit. Restat, ut interpretatio-
num diuinitia uideamus, in quibus primo loco nu-
meroque Syriaca habetur, quae, quamvis una, tribus
diuersis locis, uoce, אֱלֹהָא, eademque diuinam in-
dicare naturam solita, apud Edmund. Castellum uero,
Lex. heptagl., et *deitatis*, et diuinitatis, et diuinae ma-
iestatis notione simul, ac promiscue explicata, utatur,
ab Imman. tamen Tremellio, suam cuique significa-
tionei tribuendo, recte distinqueque, in Latina tra-
latione, quasi corrigitur, ut de Arabica, et aliis, Bri-
ani V Waltonii *Bibl. polygl.* comprehensis nihil dicamus.
Vetus, quae uulgata nuncupatur, posthabita prorsus
uocum differentia, non minus errat, manifesto sane
argumento, Hieronymum falso huius autorem per-
hiberi propterea, quod uocabulum *deitatis*, iam tum
in styli sacri consuetudinem adductum, et a semet
ipso usurpatum, hic adeo non refugisset, ut eo nihil
prius antiquiusue habuisset, et aliud, quanquam La-
tinus, minoris tamen momenti, sumere, religioni
sibi duxisset. A recentioribus conuenientior diu-
nae menti inita conuerendi ratio est, in quibus San-
tem

tem, Erasmus, Tremellium, Bezan, Schmidios, potissimum commemoramus. Omnimus ineptissime Photiniani, una cum Socinianis, per dona, et diuinae patefactionem voluntaris, Graecum efferunt, et explanant, H. Hamondo, et, quod uehementissime dolemus, Io. Clerico, V. C. suffragante. Nobis hic profecto tempe rare non possumus, quin in tantis, tanta literarum luce collustratis, uiris enerandi longe grauissimi huins oraculi conatum obstupecamus, et calumniam, siue, malitiosam eius, quod sole ipso illustrius clarissusque est, interpretationem detestemur. Proh Deum immortalem, si notiones, pro ingenii cuiusque propensione, aut partium studio, contra evidentem, et uocum, et dictionum naturam, comminisci licet, tot extitura essent sententiarum monstra, quot homines peruersi, et nouarum studiosi rerum. Sanctor, eaque fundatissima, et extra omnem controuersiam posita, explanatio haec est: In Christi corpore inhabitat plena deitas, id est, tota, quanta quanta est, diuina oύσια, simul cum cunctis ιδίουσαι, ei arcte connexis. Si enim aliquid minus est, ubi omnis plenitudo est, aut, si aliquid deest, ubi totum est plenum, Vigilius argute quaerit, lib. III, de assūt, hom. tomo II, opp. Athan. p.m. 407. Ex quo nunc facile cognoscitur, quid ad sectatorum tam Caluini, quam Loiolae, amice hic conspirantium, respondendum sit ratiocinationem: aut omnia αὐχένατα τῆς Γεόργης cum humana Christi natura sunt communicata, aut quaedam, aut nulla: sed non omnia, quod haec dici nequit infinita, immensa, cetera: nec quaedam, quia mente duntaxat et cogitatione ab οὐσίᾳ distinguuntur, concessoque uno, arctissimum ob uinculum, re ipsa

ipsa concedatur et alterum, necesse est: ergo nulla
Exprimi uerbis non potest, quantam illi uim, quan-
tumque momentum, huic argumentationi tribuant, ut
non alia C. Massonius, a Lutheri sacris in Caluini partes
se pertractum, ipse met ingenue fateatur, eiusdemque
socii olim in colloquiis, Mompelgardeni, Maulbrun-
nensi, et Neoburgensi ad Istrum, nostrates ualde ur-
serint, et adhuc urgeant, ac de gradu deiicere, et la-
queis uelut irretire, conentur. Quibus tamen faci-
le expedimur, si Spiritum S. ducem sequamur, et
sententia ipsius, quae non aliunde, quam ex uerbis
diligentissime excusis perspectisque, constat, insista-
mus, nec ab ea, uel transuersum unguem, in de-
prauatae rationis diuerticula, nos abripi, patiamur.
Sic ad unum omnia idem sita, seu κατοικησα, sine ul-
la exceptione, quemadmodum paulo ante ostendi-
mus, humanam Christi naturam possidere, adeoque
totum ibi diuinitatis complexum, ratione κατοικησα,
non ινεγγέας, reperi, pie credimus pariter, ac docemus.
Qua una maximi ponderis distinctione, ex contextu
sponte enata, et tanquam oblata, antiquissimorum
item doctorum similitudine, ab animo cum corpore,
domicilio ipsius, uti Cicero, lib. I de nat. deorum, le-
tissimo uocabulo uitur, copulato, licet hanc, reli-
quasque, Rob. Bellarminus, M. Chemnitii aduersarius,
risu excipiat, atque Hieronym. Zanchius, Anton. Sa-
deel, et sodales, temere perstringant, quicquid, et quan-
tum, scire aeterna nostra salute interest, plane, plene,
perfecteque erudimur iuxta, ac contra dissentientes
obfirmamur. Tandem in ratione, cur tale quid factum
fuerit, c. I, com. 19, huius epistolae; reddita, conquiesci-
mus: ἐν διυτίῳ ἐνδόννος πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικησα. com-
ponant. Dan. Heinsii exerc. sacrae.

Σωτηρ

Σωματινῶς) Graeco Latinum, 'corporaliter,
una Syri Arabisque consensione, respondet. At Ger-
manis, praesertim seculis superioribus, nondum
humanitatis studio excultis, hic aqua haeret, ut
partim locutiones plane omiserint, quod in codice S.
Norimbergensi, anno 1483, factum, partim in ambi-
guas, intellectu difficiles, et ineptas etiam, transtule-
rint. Operaे pretium non nullum facturi sumus, si da-
ta hoc loco occasione, cursim, cum impolitam prorsus
illorum temporum conditionem perstringamus, qui-
bus, quicquid, a doctorum scilicet istorum intelligentia
remotius, in Latino, eoque ueteri, scripturae diuinio-
ris uolumine, mendis inquinatissimo, non satis pote-
rant ingenio consequi, aut intactum reliquerunt, aut
obscurum peraeque obscuro, rudi Minerua, explica-
runt, tum maxime Lutheri initia et progressiones,
in literis magis magisque addiscendis, ex iterata sub-
inde interpretationis suae lima, iudicemus. In pri-
ma enim omnium monumentorum sacrorum edi-
tione, anno 1534, ante oculos uersatur vox *leiblich*,
in altera, 1541, legitur *leibhaftig*, quæ tomo VI Al-
tenburg. p. 1258, uerbo *persönlich* planior fit. Nec
dubium est, quin, super hoc momento, Philippi Me-
lanchthonis sententiam exquisierit, cuius in Colos-
sensibus esse discipulus optauit, epist. ad Nic. Ams-
dorffium, anno 1521 scripta, quemque praceptorum
suum in Graecis optimum, maximum, suspexit et co-
luit, ac N.I. a se conuersi emendatorem praedicauit,
ad Georg. Spalatinum, 1518, et 1522. Iam uero τὸ
σῶμα, corpus, quod rectius vulgo cognoscere hic ma-
ximi refert, notione uaria et multiplici praeditum,
ad rem animantem, et inanimam, tam Graeci, quam
Latinī,

Latini, memorabili denuo linguarum concordia, solent accommodare. uid. Er. Schmidius, enodandarum sane uocum egregius artifex, Luc. XII, 22. In fictionis nostrae commate 17, ἀ ἐτι σκια τὸν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ, τὸ σῶμα, τῇ σκιᾳ oppositum, rem ipsam iam iam praesentem, et in luce oculisque possum, eoque omnibus perfectam partibus et expletam, designat, quae olim manca, obscuris tantum τύποις, et ueluti per transennam, hominibus expectatione suspensis, praesignificabatur. Illam, formulis ex Cicerone depromptis, solidam et expressam effigiem, hos umbram et imaginem, eleganter uocares, quamquam tantum abest, ut Paulus σκιὰ καὶ εἰδὼν coniungat, ut potius Hebr. X, 1, loco contrariorum ponat, pugnantiaque faciat, quorum alterum, alio nomine, ἄδωλον, alterum χαρακτῆρα, siue χαρακτήριον σκιάς, critici appellant, hocque iterum, subtiliori inuestigatione, τῷ δέχεται περιπτώσει, pro diuersa, et nultus, et imaginis, in speculo ei respondentis, consideratione, opponunt, inspiciantur passim. *Glossae.*
Quod ad dictiōnēm, σῶμα τοῦ χριστοῦ, attinet, communī Graecorum Latinorumque usū celebratam, de qua Muretus, uar. lect. c. 4, l. III, non VIII, mendo Leticii Cellariani, sub uoce corpus, differit, circuitione aliqua, poetis haud insolita, idem ualeat, ac simplex breuisque loquendi ratio, ipse Christus, latiusque patet, et Coloss. I, 22, II, 11, σῶμα τῶν αἰματιῶν τῆς σαρκὸς, ipsa peccata carnis, item, apud Aristotelem, σῶμα τῆς πλευρᾶς, εὐθύμημα, ipsam probationem, siue Latinus confirmationem, uel persuasionem, significat, quamuis ibi tum Muretus, contra ueristorum autoritatem codicim, in τοῦ σῶμα locum τὸ πόρπα substituat, neruum que

que exponat, tum Christoph. Schraderus, alios secutus, πίστιν non fidem, qua notione artis oratoriae proprium est uocabulum, sed probationem, neglecta Latii munditie, interpretetur, Rhet. I, c. 1. At uero illud, distincte separatimque hic explicandum, ut paulo ante indicauimus, a τῇ σοιη̄ contrario nomine distat, quae in lege, legisque actionibus, exempli gratia, βράσσει, πόσει, μέγει ἐστῆς, νουηνίας, ταῦθετων, commate 16 breuiiter a Paulo strictimque nominatis, et aliis, in epist. ad Hebraeos copiose studioseque propositis, cernitur. Huc τοιχέα τοῦ κόσμου pertinent, quorum quidem semel iterumque ac saepius mentio fit separatis locis, nativa tamen ueraque sententia, commentationum uarietate, adeo impedita est, ut, quot diuersa uocis momenta reperiuntur, tot afferantur explicaciones, quas instituti ratio non sinit percensere. Nobis in transitu admonere satis est, τοιχέα, praesertim cum adiectione τοῦ κόσμου, id est, uerbum ex uerbo, elementa mundi, quotiescumque in N. F. hoc de argomento perscriptum legitur, non secunda significazione, quatenus cuiuslibet generis principia et rudimenta sic appellantur, nec tertia, quae umbram, ex Aristophane et Iul. Polluce, describit, atque cum primis Io. Clerico in praesenti probatur, sed prima, saltem ad primam proxime accende, omnium accuratissime explicari. Haec enim non tam ipsa physicorum elementa declarat, quam partes mundi ex elementis constitutas, aut res, aliquid inde haustum, acceptum, libatumque habentes, ut, aquam, ignem, lunam, sanguinem, carnes animalium, praeputium hominis, templum, arcam, tabernaculum, aliaque adspectabilia, et tractabilia, quorum ope ac instrumento ritus, cere-

ceremoniae, et decrieta, lege Mosis iniuncta, perage-
bantur. Quae magnam quidem philosophiae Iudaicae
partem conficiebant, aduentu tamen corporis, uide-
licet Christi, umbrae instar, cedere, ac penitus euane-
scere, debebant. Lutherus, interpretum facile princeps,
~~μετανομικῶς~~ effectum pro efficiente ponens, ubique ex
Graeco Germanicum *äußerliche, Welt-Satzungen* fa-
cit, magisque sibi constat, quam Anglus, qui modo,
elements of the world, modus rudimentis of the world,
id effert, non fallaci sane indicio, anticipitem cogitandi
curam ambiguum uocabulum ipsi attulisse. Norim-
bergensis ille idem uernacula repetit, *Elementen dieser*
Welt. Nunc complicatam *τοῦ σωματικῶς*, semel sui co-
piam facientis, notionem euoluamus, quod eo difficulti-
us futurum est, quo minus profani, si a Plutarcho dis-
cesseris, inquirendi nobis uiam monstrant. Is enim
unus ex omnibus, quantum quidem adhuc scimus,
aduero hoc sic utitur: *Δέπεται τοῖνυν, τὸ μέσον οὐ το-*
πικῶς, ἀλλὰ σωματικῶς, λέγεθαι, Latine, interprete
Gul. Xyandro, ita habet: *Restat, ut medium non*
loci ratione, sed corporis, accipiamus, de orac. def.
tomo II, pag. 424, edit. Francof. 1620. Iudicalem
formula, *σωματικὲς ἐπουόστις, corporaliter iurare,* Car.
Dufresneus annotauit, *Gloss. Barbarogr.* Latinum uero
rem ipsam denotare, Io. Calu. docet, *Lex. I.* Antiquiuocu-
cum explanatores, *Glossariographos* dicimus, et Gram-
maticos pariter, ac Scholiafas, cum recentioribus
philologis, speciatim illis, *Bibliorum crit. volumine V*
conclusis, nihil, certe parum memoratu digna, hic
produnt. Quod pari modo in Suida, et Io. Casp. Sui-
cero, iure delideres, officio suo, in enucleandis scitu
oppido necessariis, iisdemque ad theologiam perti-
nentibus, non diligenter, expectationique conuenien-
ter,

D

ter, functis. Contra ea doctores, excellentiore pa-
trum nomine clarissimi, campum aperient, in quo
latius excurrere, uariumque ac multiplicem usum,
in coetu sanctiore, cognoscere licet. Multa inde paucis
complectemur, et, ad quatuor potissimum capita ue-
terum explicaciones reuocatur, primo loco uocabu-
lum οὐσιῶν ponemus, quod, seculo V, Cyrus, Alex-
andrinus, cum Nestorio, Samosateni studio, eoque
statuente, τὰς φύσεις παντάπαιου ἀνωνωνήτους πρός εὔντας
ἴνα, conflictatus, ad ueram naturarum coniunctio-
nem declarandam, frequenter usurpauit quidem, sed
germanam uerbi intelligentiam non satis excusavit, ue-
stigiis doctrinae suis insistentibus cunctis, donec, post
Chalcedonense concilium, propter Eutychianos,
ἐνότης καὶ οὐσιῶν, siue οὐσιῶν, paullatim in desuetudini-
nem ueniret. Deinde, idem ualuit ac ὑποστάτης, id
est, ad uerbum, barbare loquendo, *substantialiter*, seu
potius *personaliter*, inualuitque ἐνώπιος ὑποστάτης καὶ ὑ-
πόστατη, omnium, ut tum uidebatur, commodissima
appellatio, et multis etiamnum probata, quam-
τοῦ σώματος uim altius ex Graecia repetunt, autori-
tateque Thucydidis, Strabonis, Aristotelis, Euripidis,
stabiluent, et cum τῷ προσώπῳ, uoce theologis Graecis
non minus perspecta, exaequant. Tum τὸ σώματης,
τοῦτ' ἐσιν, εἰ σάρκι, aliquo uerborum circuitu, Io. Dama-
scenus, lib. de O. F. eloquitur, antiquitatis totius, praesertim
Graecae, integris disputationibus, sententiis, ipsisque
uerbis scriptorum illorum in sua translati, fidelis-
simus interpres. Nec Zanchius, discriminis inter θεότη-
τας θεοτητας, recto integroque sensu, egregius defensor,
fallit, ubi, plerosque omnes in his interpretandi for-
mulis, εἰ σώματι, εἰ σάρκι, ἐνσάρκεως, σεσάρκωμένως, sibi con-
sentient.

sentire, a nicissimeque conspirare, ingenue, contra ac
Georg. Sohnius, affirmat, lib. III de trib. Elohim, cap. 4.
Cui ex Ignatio, Iustino, martyre, Tertulliano, A-
thanasio, Chrysostomo, Theodoreto, compluribus-
que aliis, cumulate fidem facere possemus, nisi ad re-
liqua maioris momenti esset festinandum. Huc,
prae ceteris, uocabula illa recens inuenta, mysterio-
que huic *αὐτοῦ οὐτε εὐνήτῳ ναὶ αὐτοῖς ιχνάσῃ*, ut Paulus Röm.
XI, 33, ait, sacra, exempli gratia, *ἐν σωματίῳ τοῦ θεοῦ, σώματος ναὶ ἐν σάρκωσι*, Latine item conuersa,
incorporatio et incarnatio, spectant, quae inscribendi
libros saepe, Athanasio, Cyrillo, Cassiano, Anshelmo,
occasionem dederunt. Restat denique expositio per
οὐτὸς ναὶ τῷ οὐτὶ, ἀληθῶς, τῷ τυπων oppositum, autore in-
primis Augustino, cuius uerba fusiis repetere instituti
nostrī maxime interest: *Non ideo corporaliter dicitur, quia corporeus est Deus, sed uerbo translato uisus est* Pau-
lus, tanquam in templo manufacto, non corporaliter, sed
umbraliter, habitauerit, id est, praefigurantibus signis.
Nam illas omnes obseruationes umbras futurorum vocat,
etiam ipso translato uocabulo, ep. LVII. His itaque positis,
enumeratisque strictim sententiarum diuertiis, etiam
atque etiam mirari in mentem uenit, nondum satis
de uera τοῦ σώματος ui ac potestate constare, atque
adeo interpres uagari et errare, nescientes, quor-
sum se uertant, quemque ex ueteribus sequantur,
qui uel ipsi non ubique sibi similes sunt. Inde fit,
ut Cyrillus, Theodoretus, et Oecumenius, N. I. scho-
liastes Graecus uulgo dictus, modo ad *οὐαλθῶς*, modo ad
τὸν ἐν σώματι inclinent ac propendeant, certe, tum ad
primi, tum tertii generis momentum corroboran-
dum, a recentioribus accersantur. Ex instituto autem
Patrum

f. 28.

P. 413

Patrum explanationes excutere properantibus nobis
non uacat, ostensuris alioquin facile, τὸ ἐν σώματι, ἐν σάρκι,
cum similibus horum, a doctoribus frequentatis, su-
perfluens quid ac superuacaneum esse, cum id ipsum
iam τῷ ἐν αὐτῷ, com. 9, contineatur, Augustinum quo-
que in contrarias partes, ambiguitate nominis, distra-
hi, qui superioribus mox, sine interuallo, subiicit.
Aut certe corporaliter dictum est, quia in Christi corpore,
quod assumpt ex uirgine, tanquam in templo, habitat De-
us. Nec secundum, quod Chemnitius noster uulga-
re uocat, uidelicet υποστάσης, omni exceptione ma-
ius est, licet Hebraeorum pariter, ac Graecorum, lo-
quendi consuetudine se tueri, et coniunctionem na-
turarum υποστάσην planiorem facere, eamque ab ha-
bitatione, in sanctis hominibus, nonnullis recte di-
stinguere uideatur. conf. Flacius, sub uoce *corpus*.
Scholasticorum, quos nominant, Photinianorum, ac
Caluinianorum ineptias ne ultimo quidem loco nume-
roque dignas, arbitramur. Nos tandem diligenter in-
terioribus exploratis perspectisque, et dictionis, et
contextus, rationibus, Augustini sententiam, menti Spi-
ritus S. tantum consentaneam, hic nostram facimus,
ac τὸ σώματικῆς non οὐτωδῆς, υποστάσης, ἐν σάρκι, seu
σώματι, ac τυπικῆς, sed ὄντως, ἀληθῆς, pro ratione
corporis, id est, uere, perfecte, solide, aut Germanice,
leibhaftig, siue persönlich, sine dubitatione, nec tot tan-
torumque uirorum, quorum uix numerum ineas, au-
toritatibus deterriti, donec certiora edoceamur, expla-
namus, rerum pondera, quae in aduertio illo frustra
quaerunt, iam supra subtiliore uerbi κατονίη tractatio-
ne complexi. componant. S. Glassius, P. S. p. m. 118. et
1449, ac praesertim H. VVitsius Miscell. S. I. II. d. 1. de
tabern. Leuit. mysteriis, speciatim n. 30.

Wittenberg, Diss., 1707

Wittenberg, Pith., 1707

ULB Halle
003 588 122

3



vDn8

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres



D. B. V.

TA MISCELLA
SITIORA,
XIME

VVM FOE-
E INTERPRE-
DVM,
ESIDE
KIRCHMAIERO,
LIT. PROF. P.

I DISCEPATIONI
MITTIT

IVBSCHMANNVS,
SA THVRINGVS,
XIX OCTOBR.
c l o l o c c VII.

Q. C.
PVT. I.

MBER GAE,
SCHROEDTERI, ACAD. TYP.